

expiationem, hoc ipso constat semper spectatum fuisse missæ sacrificium ut propitiatorium.

Non solum igitur ex dietis patet propositum, sed præterea colligitur 1. Sacrificium missæ offerri posse tam pro vivis, quam pro defunctis, qui in purgatorio pœnas luunt.

Colligitur 2. Sacrificium prout est propitiatorium offerri non posse pro sanctis, sed solum in ipsorum honorem, ac prout est eucharisticum, ut orent ipsi pro nobis, sicut loquitur s. Augustinus (Tract. LXXXIV. in Joan. n. 1), ut gratias agamus Deo de victoriis, quas ejus beneficio et misericordia de teterrimis salutis nostræ hostibus atque adversariis reportarunt. Quare concilium Trid. sess. XXII. cap. III. Quamvis, inquit, in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli.... de illorum victoriis gratias agens (sacerdos), eorum patrocinia implorat. Quam doctrinam sancivit can. V. Si quis dixerit imposturam esse missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anath. sit.

Colligitur 3. divinum hoc sacrificium, quoniam propitiandi Deum vim habet, habere etiam vim beneficia impetrandi, ut idcirco impetratorium a catholicis etiam appelletur. Si enim Deum placare nobis potest, ac propitium facere, quidni poterit nova nobis ab ipso, et uberrima gratiarum dona, nova cujusvis generis beneficia, quæ ad animam, corpus, et res externas pertineant, impetrare (1)? Itaque si pleni bonæ spei, si pietate inflammati ad hoc sacrificium nos conferamus, Deum facile exorabimus, ac nihil erit tam arduum ac factu difficile, quod impetrare non possimus.

Si quis quærat, in quam ex tot actionibus quæ in missæ celebratione occurrunt, collocanda sit tota sacrificii essentia; reponimus, inter tot, quæ circumferuntur, theologorum sententias, longe nobis verisimiliorem videri sententiam illam, quæ sacrificii essentiam in sola consecratione constituit. Illa enim actio sola essentialis censenda est, in qua sacerdos agit in nomine Christi, et vi ejus victima in sacrificio præsens sistitur, et offertur veluti immolata in honorem Dei auctoris vitæ et mortis; atqui in sola consecratione sacerdos agit nomine Christi, præsens in sacrificio victima constituitur et offertur in statu immolationis, quo repræsentatur Christi mors, dum vi verborum seorsim corpus, seorsim vero san-

(1) Sane s. Cyrillus Hieros. catech. cit. n. 8. scribit: « Εἰς τὴν θυσίαν ταύτης τοῦ θεοῦ παρακαλοῦμεν τὸν θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εὐχῆς, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου εὐσεβείας, ὑπὲρ βασιλείων, ὑπὲρ στρατιῶν, καὶ συμμάχων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀδελφείᾳ, ὑπὲρ τῶν καταπονομένων καὶ ἀπαλειπῶν ὑπὲρ πάντων βουβήτων δειρῶν διαθήκῃ πάντες ἡμεῖς καὶ ταύτην προσφέρομεν τῆς θυσίας. » Super illam propitiations hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace: pro recta mundi compositione: pro imperatoribus: pro militibus et sociis: pro iis, qui infirmitatibus laborant: pro iis, qui afflictionibus premuntur: et universim pro omnibus qui opis indigent, precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus. Eadem occurrunt in liturgiis omnibus totius christiani orbis, nulla excepta, necnon in Tertuliano lib. ad Scapulam, in Justinii Apel. I. loc. cit. ceterisque PP. apud Muratorium in laud. dissert. cap. 1.

guis exhibetur; consecratio igitur sola essentialis actio censenda est, in qua ratio sacrificii consistit. Quo fit, ut oblatio, fractio, communicio haberi tantum debeant tanquam totidem ejusdem sacrificii partes integrales (1).

DIFFICULTATES. Obj. 1. Mosaica lege sancitum est ut in sacrificio propitiatorio tota victima combureretur, quo factum est, ut holocausti nomen acceperit. At sacrificii eucharistici participes fiunt non solum sacerdotes, sed quotquot ad sacram mensam accedunt. 2. Certa præterea est Apostoli sententia Heb. IX. 22. quod sine sanguinis effusione non fit remissio; nulla porro in missæ sacrificio sanguinis effusio fit. 3. Intelligi nequit, qua ratione missæ sacrificium possit esse propitiatorium; etenim tale esse nequit ex se, alioquin evacuetur sacrificium crucis, sed nec propitiatorium esse potest virtute sacrificii in cruce peracti, quia sequeretur insufficiens istud esse ad Deum nobis propitiandum. 4. Exploratum demum est, omnia prorsus peccata nobis dimissa esse beneficio crucis Christi. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Aliquando in nonnullis sacrificiis, C. semper et in omnibus, N. uti constat ex Levit. capp. VI. et VII. in quibus præscribitur, ut soli masculi in loco sancto edant de victimis oblati pro peccatis. Accedit sacrificium missæ esse insuper et eucharisticum, cujus propterea saltem sacerdotes participes esse debent.

Ad 2. Dist. Sine sanguinis effusione non fit remissio, C. non fit remissionis applicatio, prout etiam fit in baptismo, absolutione peccatorum, jejunio, ceterisque operibus satisfactoriis, N.

Ad 3. Resp. Sacrificium missæ propitiatorium esse virtute sacrificii in cruce oblatis, quod consummatio fuit omnium meritorum Christi (2), nec tamen inde

(1) Cf. Vasquez l. c. disp. CCXXII. cap. 1. et seqq. Bellarm. lib. v. cap. 27. qui tamen prop. 7. statuit sacramenti consumptionem, ut fit a sacerdote sacrificante, esse partem essentialiam, sed non totam essentiam sacrificii. Cujus assertionis hanc offert rationem, quia in nulla alia missæ actione est realis destructio victimæ præterquam in ista. At hæc ratio ex duplici capite nutat; ac primo quidem, quia per solam consumptionem ante corruptionem specierum non desinit esse corpus Christi sub speciebus; quare potius in corruptione specierum, quam in manducatione pars essentialis sacrificii consisteret, adeoque sequeretur partem essentialiam sacrificii non in altari fieri a sacerdote, sed in stomacho, quando in eo species corrumpuntur, quod videtur absurdum. Secundo, quia ipsa etiam corruptio specierum in Christo, qui offertur in sacrificio, nulla fit mutatio secundum esse, sed tantum secundum modum existendi sub speciebus, eo quod sub illis desinit esse, quæ quidem mutatio apta non est ad essentiam sacrificii constituendam, alioquin quodcumque aliud genus consumptionis hujus sacramenti, quale esset per ignem, aut quodvis aliud, per quod Christus desineret esse in hoc sacramento, si fieret ex affectu colendi Deum, posset constituere partem essentialiam sacrificii, quod pariter videtur absurdum. Accedit, nullam esse peculiarem rationem quare, consumptio ex parte sacerdotis spectet ad essentiam, minime vero quatenus fit ex parte populi. Hoc principio, ut videbimus, abusi sunt non pauci neoterici, ut constituerent communionem populi spectare ad sacrificii essentiam.

(2) Notandum porro hic est, actiones quidem singulas Christi Domini per se, seu seposito Patris decreto, fuisse meriti ac valoris infanti; utopæ actiones theandricas; quare unaquæque sufficere potuisset ad mundum redimendum ac propterea etiam sacrificii eucharistici institutio merito fuit, et idonea ad omnium peccata delenda. Ast vero

sequitur, quod adversarij contendunt, insufficiens fuisse sacrificium crucis. Nam Christi mors meruit remissionem peccatorum, sacrificium vero, quod in missa offertur, ut alias declaravimus, applicat unicuique in particulari fructum ejusdem meriti, prout applicatur per sacramentum baptismi, aliaque superius recensita media.

Ad 4. Dist. Quoad pretium redemptionis, C. quoad applicationem pretii, N.

Cum vero summa difficultatum, quas adversarii urgent tum adversus sacrificium ipsum, tum adversus ejus virtutem propitiatoriam ex eo proveniat, quod nolint distinguere inter pretium oblatum pro peccatis nostris et ejusdem pretii ac meriti applicationem, juverit doctrinam catholicam illustrare nobilissimo exemplo, quo Card. Stanislaus Hosius usus est. Est fons, ait ipse, in medio civitatis collocatus, omnibus expositus, a quo nemo arcetur, quin eo libere uti possit: tam est autem copiosus et redundans, ut ad sordes omnium abluendas, ad sitim omnium sedandam, ad reliquas necessitates omnes omnium explendas abunde sufficiat. Num ideo tu sitim tuam explevisti, aut sordes abluisti, quod hic fons est in medio omnibus expositus, tam copiosus? Certe, nisi ad eum accesseris, nisi ex hoc hauseris, neque sordes ablueris, neque sitim sedaveris, neque ullum ex eo fructum perceperis, quamlibet sit copiosus et redundans. Proinde qui vult ex eo fonte fructum capere, non spectat illum otiosus, ac illius tantum copiam et abundantiam admiratur; verum illud agit, ut quod videt omnibus communicatum, ejus ad se quoque partem aliquam derivet: fistulas admovet, sive tubos aut canales, per quas communem aquam in suum quoque privatam et proprium usum transferat. Non dissimilis est ratio fontis hujus vitæ perennis, qui in latere Christi in cruce pendens aperitus est. Est fons perennis, fons copiosus, et redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata, ad salutem omnibus mortalibus conferendam prorsus sufficit. Sed si vis usum aliquem hujus fontis habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est ut ad Christi latens in cruce pendens fistulam applices, et per eam, qui solus peccata nostra abluat, salutemque nobis confert, Christi sanguinem ad te derives atque attrahas: ut per eum ablutus et sanctificatus æternam beatitudinem adipisci queas: non ipsius fistule sive canalibus, verum Christi sanguinis te per canalē irrigantis virtute. Hinc videre licet, quod omnia, quæ

ex Patris decreto ipsa mors erat a Filio Dei subeunda, ut mundus redimeretur ac tollerentur omnia peccata nostra; nisi proinde Christus mortuus esset, nec deleta fuissent per actiones ejus reliqua peccata, nec mundus fuisset redemptus. Quo sensu scripsit Apostolus Hebr. V. 9. « Et consummatus (Christus) factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. » Ideoque Christus solo sacrificio cœnæ nobis non obtulit remissionem peccatorum. Quapropter, qui ad evincendam virtutem propitiatoriam sacrificii in cœna oblatis afferunt verba quæ Christus protulit in consecratione calicis « qui pro vobis effunditur » juxta græcam lectionem, non videntur satis solida ratione inniti. Accedit quod etiam evinceretur, sacrificium cœnæ fuisse hoc sensu meritorium et propitiatorium, non inde tamen inferri posset etiam meritorium et propitiatorium esse sacrificium missæ; nam Christus in cœna utpote adhuc vivator, mereri poterat, non item vero post mortem, in qua omne meritum ejus desit.

cumque ad salutem nostram pertinent, non nisi illi soli sacrificio in cruce peracto, non nisi fonti, qui apertus est in Christi latere, tribuuntur: verum fructum ex illo fonte capere non possumus, nisi, qui susus est ex Christi latere sacrosanctus Christi sanguis, eum per instrumenta et quasi canales quosdam ad nos derivemus. Ejusmodi canalis est baptismus, ejusmodi canalis est quotidianum hoc sacrificium, quod vocamus Missam, per quam illius in cruce peracti sacrificii et fusi pro nobis pretiosi sanguinis fructum in nos transferimus, nobis applicamus et appropriamus. Falso itaque nobis impingunt Satanae ministri, quod per quotidianum hoc sacrificium illud in cruce peractum obscuretur, cum illi streetur magis. Annon absurde facere censeretur, si quis baptizare se volentem insimularet, quod is per baptismum obscurare velit redemptionis beneficium in cruce nobis obtentæ, et redemptionem suam in aqua baptismi collocare potius, quam in Christi sanguine, quo solo redempti sumus? Cum baptismo nihil aliud agatur, quam ut redemptionis in cruce nobis obtentæ particeps fieri qui baptizatur, et ejus fructus in se transferri queat. Atqui non minus absurde faciunt, qui nobis objiciunt quod per quotidianum illud sacrificium, illud quod in ara crucis peractum est, obscuremus, et ejus dignitati ac merito detrahimus: cum nihil aliud agatur, nihil aliud quærat a nobis in hoc quotidiano sacrificio, quam ut quod Christus nobis promeruit unica illa oblatione in cruce facta, id in nos transferre, et ea ad salutem nostram uti queamus (1).

CAPUT II. DE MISSA PRIVATA.

Quamvis proprie loquendo sacrificium privatum illud dici nequeat, quod offertur in gratiarum actionem pro beneficio publico, cujusmodi est mors Christi; quodque a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus offertur; usus tamen invaluit, ut aliæ missæ private, aliæ publicæ et solennes vocentur. Privata autem dicitur, vel quia in privato loco, vel quia non die festo, vel quia non ad aram templi principem celebratur nec parochialis est, ut loquuntur, seu conventualis, vel quia denique nemo ex assistentibus sacramentaliter saltem communicat (2).

Lutherus ex præconcepto errore suo, quod eucharistia non habeat rationem sacrificii, sed solum sacramenti, in libro De abroganda missa privata stulte debacchatur in eas missas, in quibus solus sacerdos participat, easque solitarias, singulares, angulares appellat aliisque contumeliosis nominibus afficit (3).

(1) In Confessione catholice fidei in synodo petriciensi 1551. Viennæ Aust. 1560. cap. 41. fol. 91. Cf. etiam Nat. Alex. diss. 15. in sec. 15. et 14. De sacrificio missæ, etc.

(2) Binterim in op. Præcipua Ecclesiæ christiano-cathol. monumenta tom. n. p. 1. pag. 92. et seqq. erudite disserit de verbis illis, quæ pronuntiantur in consecratione calicis, mysterium fidei, quæ ostendit ex traditione apostolica provenire, ex isque conflict sacrificium nostrum semper habitum ut propitiatorium fuisse.

(3) Præter Bellarmin. cf. card. Bona rerum liturgic. lib. 1. cap. 15. cum annotat. Roberti Sala edit. Taurin. 1753.

(5) Ut nihil desit conviciis, quibus protestantes in-

Huic Lutheranorum errori haud parum favet synodus pistoriensis, quæ cum statuisset: *Victimæ participationem esse partem sacrificii essentialem, subiungit: Non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima spiritu illam recipiendo.* Quæ propositio, Quatenus insinuat ad sacrificii essentialitatem deesse aliquod in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de victima participant, et quasi damnandæ essent ut illicitæ missæ illæ, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet a Pio VI. in Constit. Auctorem fidei proscripta est ut falsa, erronea, de hæresi suspecta, eoque sapiens (Prop. 28).

Synodo pistoriensi jam præverat Nannaronius (qui tamen publice errores suos ejuravit [1]), qui pene sopitam a Benedicto XIV. (2) controversiam Cremæ exortam inter antistitem Calinium et canonicum Guerrerium: *An sacerdos privatim missam celebrans laicis petentibus eucharistiam distribuere omnino teneatur*, acrius excitavit (3). Contendit enim communionem populi liturgicam esse partem divino sacrificio intrinsicam, connaturalem, inseparabilem, substantialem, sine qua minime perfectum sit sacrificium; qui præterea addidit fidei dogma esse, cui absque hæreseos nota nequeat contradici, ministrandam esse jure divino fidelibus eucharistiam in sacra synaxi ex particulis in ea consecratis, excepto casu communionis infirmorum, qui missæ nequeunt interesse, aliove gravis necessitatis motivo.

At Tridentini concilii doctrina sess. XXII. cap. VI. hæc est: *Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiæ per-*

ceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberius proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque missæ vere communes censi debent, partim, quod in eis populus spiritaliter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. Cohærenter ad hanc doctrinam can. VIII. definit: *Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anath. sit.* Juxta hanc doctrinam sit

PROPOSITIO I. — *Missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitæ non sunt, neque propterea abrogandæ.*

De fide est, ut constat ex recitato canone. Sie porro ejus veritatem ostendimus. Illicitæ illæ missæ non sunt ideoque nec abrogandæ, in quibus finis ille obtinetur, ad quem præcipue institutæ sunt; quæque non dissentiant ab usu in tota antiquitate recepto, nec ulli Christi præcepto adversantur. Tales autem sunt missæ, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Ergo.

Ac I. quidem, primarius et præcipuus finis sacrificii est Deo supremum patriæ cultum exhibere, eumque nobis propitiare, Christi fidelibus tum vivis tum defunctis veniam, requiem, pacem, omniaque bonorum genera impetrare, pro collatis beneficiis gratias agere. Jam vero hæc omnia independentem a populi communionem ex sola sacrificii actione habentur, ut per se patet.

II. Cum veterum institutis et consuetudine ejusmodi missæ probe cohererent, quod ex monumentis ecclesiasticis constat. Nam Marcellus Pontifex sacra mysteria fecit in domo Lucinæ; Nazianzenus senior in domestico cubiculo; Ambrosius Romæ in quadam domo trans Tiberim; Paulinus Nolanus, iustante morte, in altari ante lectulum suum parato, ut alia plura exempla omittam (1). Usus ergo antiquus obtinuit missas celebrandi absque solemnitate et cœtu fidelium, et in quibus solus sacerdos particeps sacrificii esse poterat. Quod et sequentibus testimoniis confirmatur: s. Joan. Chrysostomus, Hom. III. in epist. ad Ephes. illos increpans, qui tantum in quadagesima participabant sacra mysteria; *Frustra est, inquit, quotidianum sacrificium. Frustra adstantur altari: nemo est qui participet* (2). Porro, ut observat Benedictus XIV, non eo progreditur s. doctor ut dicat, missam non esse quotidie celebrandam, quod quotidie adstantes non communicent. Ait quidem

(1) Cf. Pellicia op. cit. de Polit. Eccles. lib. II. cap. 10. necnon Card. Bonæ Rer. Liturgic. lib. I. cap. 15. cum notat. Roberti Sala ed. cit. tom. I. p. 268. et seqq. qui exempla istarum missarum plura ex antiquitate collegerunt, quibus nihil est quod opponi possit.

(2) N. 4. Ελεξ θυσία καθήμενη· ελεξ παριστάμενη τῶ θεοσεβῶντι οὐδὲν ἔστιν ἄχρηστον.

Chrysostomus, *frustra est quotidianum sacrificium, verumtamen vox frustra non ad sacrificium, sed ad communionem refertur: celebratur enim missa tum ut Deo offeratur sacrificium, tum ut sacro eucharistico pane populus recreetur.* Quod si nemo sit qui earet effectu, non item vero sacrificium (1). S. Ambrosius populum admonet, ut singulis diebus intersit missæ, mox addit, ut in quadagesima, die saltem dominico offerat et communicet. S. Augustinus hortatur fideles, ut dominicis saltem diebus accedant ad ecclæste convivium, cum sæpissime testetur sacrificium quotidie offerri (2). Concilium Agathense, an. 506, can. XXI, præcipit ut omnes die dominico missæ intersint, ad communionem vero can. XVIII. eos non adigit, nisi in die Nativitatis, Paschalis et Pentecostes (3). Usus præterea missæ quotidianæ sec. VI. pro vivis et defunctis, atque ad recolendam memoriam martyrum meminit Ferrandus diaconus s. Fulgentii discipulus; sic enim scribit in epistola data an. 535, et nuper edita a doctissimo card. Angelo Majo (4): *Et sicut Ecclesiam suam docuit (Christus) in quotidianis sacrificiis hanc custodire regulam, ut pro peccatoribus sive adhuc in terra laborantibus, sive de seculo recedentibus orationem faciat, pro martyribus vero gratiarum referat actionem.*

III. Nulli denique præcepto Christi has missas adversari exinde constat, quod etsi protestantes hoc præceptum sedulo quæsierint, nondum tamen potuerint invenire. Nec enim satis est ad præceptum ejusmodi constituendum, ut afferant Christi verba, quibus dedit facultatem apostolis eucharistiam faciendi; sed præterea opus est, ut illa adducant, quibus prohibetur, ne aliter possent conficere nisi adsint qui participant; hæc vero nusquam inveniuntur. Atque hinc factum est, ut post tot jurgia et clamores demum ipsi protestantes cœnam celebrent quamvis nemo sit qui accumbat (5).

DIFFICULTATES. Obj. 1. Christus non modo de

(1) De sacrificio l. cit. § 14. in toto hoc capite multa habet doctus hic pontifex scitu digna ad rem nostram. Cf. etiam Nat. Alex. Dis. XIII. in sec. 15. et 14.

(2) Cf. Bellarm. lib. VI. De Euch. cap. 9. n. 24. et seqq.

(3) Apud Harduin. Acta Conc. tom. II. col. 1000.

(4) In scriptorum veterum collectione et vaticanis codicibus edita Romæ 1823. tom. III. p. 185.

(5) Sane Abbas Molanus in Cogitation. Privat. p. 2. tantum abest, ut a missis his privatis abhorreat, quin potius scribit, « se non repugnatum, quia sui illis intersint. » Neque id ex sensu suo promit, sed palam profiteretur, ne a ceteris quidem lutheranis missas id genus haberi ut plane illicitas. « Quis, inquit, intra suas quoque ecclesias in necessitatis casu sibi ipsis, nemine amplius presente, sacram cœnam interdum non exhibeat? » Leibnizius quoque in System. Theol. p. 252. scribit: « Porro, cum jugis sacrificii tanta sit dignitas atque utilitas, receptum denique est, ut creberrime Deo offeratur pro fidelium necessitatibus, etiam non semper accederet dispensatio... Non ideo tamen honori divino aliquid detrahendum fuit, quia communicantes non semper habentur. Quare, ex quo sanctissimum sacrificium in omnibus ecclesiis quotidie celebrari laudatissima pietate institutum est, consequens fuit, ut sufficere judicaretur perceptio offerentis sacerdotis; atque hæc missarum, quas privatas vocant, origo est, quarum fructus sane maximo privari Ecclesiam cum divini honoris detrimento æquum non est. » Doederlein Instit. Theol. Christ. 2. 789. fatetur missam privatum improbatam a Lutheri a theologia recentioribus lutheranis passim commendari.

consecratis comedit et bibit, sed ea simul edenda et bibenda discipulis distribuit dicens: *Accipite et manducate... Bibite ex hoc omnes.* 2. Ut idem fieret a discipulis cum consecrarent, præcipit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cum igitur ipse distribuerit, ut sacerdotes faciant quod Christus fecit, et ipsi adstantibus distribuere debent. 3. Quare Apostolus I. Cor. X. panem et calicem benedictum vocat *participationem* seu *communicationem* corporis et sanguinis Domini. 4. Fractio ipsa panis, quæ in cœnæ institutione facta est, quæque ipsi actioni eucharisticæ nomen dedit, ut patet ex Act. Apost. II. 42. et alibi, nonne ordinata erat ad communionem adstantium? 5. Hinc idem Apostolus in cit. ep. cap. XI. 20. scribit: *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; quò in I. c. cum cœnam dominicam ita opponat Apostolus cœnæ privatæ, ut hanc non esse dominicam cœnam affirmet, satis indicavit, se privatam solius sacerdotis communionem tanquam illicitam reprehendisse.* 6. Sane liturgiæ omnes tum latinæ tum græcæ continent orationes, quæ non solius sacerdotis nomine, sed plurium nomine funduntur; essent autem nugatoriae orationes istæ, si vel nulli sint, qui sacrificio adstant, vel de eodem sacrificio minime participant. 7. Accedit, quod canonice Ecclesiæ vetustissimi præcipiunt communionem fidelibus sacrificio adstantibus, et ab Ecclesiæ liminibus arcent eos, qui non obtemperaverint. 8. Quò fit, ut nunquam apud Græcos absque communicantibus missæ celebrentur. Ergo.

Resp. ad 1. Dist. Ita tamen, ut non omnia, quæ Christus gessit in cœna ad essentialitatem sacrificii pertineant aut præcepti vim habeant, C. secus, N. Ex iis enim, quæ Christus fecit in eucharistiæ institutione, alia quidem pertinent ad ejus substantiam, alia vero non item; quod si in omnibus omnino exemplum Christi ad substantiam spectaret aut præcepti vim haberet, multa sane præstanda essent, quæ tamen neque catholica Ecclesia, neque ipsimet novatores imitanda sibi proposuerunt (1). Quæ autem illa sint, quæ constituent rei substantiam, aut præceptum involvant, non privatorum est definire, sed Ecclesiæ, quam Christus ipse reliquit interpretem suæ voluntatis atque doctrinæ. Cum igitur Ecclesia tanquam licita probaverit sacrificia privata, in quibus eucharistia non porrigitur populo, inde colligitur communionem adstantium non constituere es-

(1) Huc refertur quod s. Augustinus scribit in epist. LIV. ad CXVIII. ad Januar. de ritibus ecclesiarum, cap. 6. ubi de eucharistia ait: « Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniam est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipiuntur?.. Et ideo non præcepit (Christus), quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ecclesiæ dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset... credo, quod eum morem nemo variasset. » Quæ omnia ibid. complectitur dicens: « Si quid horum tota per orbem frequenter Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, usque lenissime iusticie est. »

sentiam sacrificii, atque exemplum Christi eucharistiam distribuentis vel non continere præceptum, vel conditionatum tantum continere, si nimirum adsint qui petant communionem, atque insuper si legitime petant. Ad summum ex his eruitur magis conforme esse Christi exemplo communionem adstantibus distribuere, si qui sint qui eam legitime petant, prout se optare declaravit synodus Tridentina; minime vero sequitur aliquid deesse essentialis sacrificii, si nulli sint, qui velint communicare, aut illicitas esse missas, in quibus nemo sit, qui communicet.

Ad 2. Neg. Nam citata verba non referuntur ad distributionem eucharistiae, sed ad facultatem quam Christus dedit apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus eucharistiam conficiendi, ac propterea sacrificium offerendi. Quod si adversarii contendunt, etiam ea esse referenda ad distributionem; repouimus, hoc etiam dato, verba ea non continere, nisi præceptum affirmativum, cui parendum est uti scholae loquuntur, pro tempore, loco et circumstantiis.

Ad 3. Dist. Quatenus præsentibus ac legitime petentibus negari non debeat sacrum hoc epulum, quod in spiritualem fidelium omnium alimoniam institutum est, C. quatenus necesse sit, ut pauci vel multi communicent, quoties offertur sacrificium, N.

Ad 4. Dist. Quia et institutioni eucharistiae, et illis christianorum cœtibus, de quibus fit mentio in Actis apost., præsentibus aderant, quibus distribuenda erat eucharistia, C. quasi non potuerit aut non possit celebrari eucharistia et offerri sacrificium, si nulli sint qui possint aut velint participare, N. Eodem semper vitio laborat hæc adversariorum argumentandi ratio. Addendum præterea est, fractionem non referri ad solam distributionem, sed habere insuper mystificam significationem; quo fit, ut locum habeat, etiam cum nulli communicantes sunt (1).

Ad 5. Dist. Ita ut per dominicam cœnam Apostolus convivia illa significet, quæ vel præcedebant, vel subsequerentur eucharisticam communionem, quæque agape dicebantur, C. communionem ipsam, N. Id enim non solum constat ex Chrysostomi, Augustini et Oecumenii expositione, verum etiam ex ipsa orationis serie, in qua s. Paulus divites carpit, qui pauperes excludebant a participatione eorum, quæ ipsi secum afferbant, quo fiebat, ut alii quidem esurirent, alii autem ebrii essent; quare concludebat: Numquid domos non habetis ad manducandum

(1) Cf. Card. Bona *Reverum Liturg.* lib. n. cap. 15. § 3. et adnot. Roberti Sala, qui Binghamum *Orig. Eccles.* lib. xv. cap. 5. § 55. calumniantem mysticam expositionem hujus ritus, refellit, ostenditque plures subesse huic ritui mysticas significationes. Id vel ex eo etiam deprehenditur, quod Ecclesia romana hostiam dividat in tres partes. Græci in quatuor, olim Mozarabes in novem. Sed ut insistamus in ritu Ecclesiæ romanæ, vulgati sunt versus quibus ille exponitur:

Tres partes factæ de Christi corpore signant,  
Prima suam carnem, sanctosque secunda sepultos,  
Tertia viventes; hæc est in sanguine tincta.

et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnit, et confunditis eos qui non habent? V. 22 (1).

Ad 6. Dist. In hypothesi quod fideles adsint, velint ac legitime communionem petant, juxta Ecclesiæ desiderium, C. quasi irritum sit ac illegitimum sacrificium, cui fideles non intersint, aut nolint communionem, illegitimeque petant, N. Talem porro esse liturgiæ sensum, patet ex liturgia romana, in qua legitur: *Ut quotquot ex hac altaris participatione, etc.* Hinc sacerdos interdum etiam numero loquitur singulari: *Libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum.... Corpus D. N. J. C. custodiat animam meam in vitam eternam: amen.* Post hæc admonet rubrica: *Si qui sint communicandi, eos communicet, antequam se purificet.* Supponendo vero aliquos adesse subdit sacerdos: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus*, quibus alluditur ad communionem, seu a solo sacerdote, seu etiam a populo factam (2). Accedit, plures esse causas, cur præter communionem plurali nomine eas orationes fundit sacerdos, quas quidem causas recenset concilium Tridentinum verbis superius recitatis.

Ad 7. Neg. Ut enim ostendit ipse Joan. Gerhardus Vossius, non præcipiunt veteres canones, ut quisquis, quoties adest, communicet, sed ne quis nondum perfecta communione discedat (3).

Ad 8. Neg. Missas absque communicantibus non celebrare (Græcos), falsum est, scribit Allatius. *Qui non credit, adeat ipsas Græcorum ecclesias ubicunque terrarum constitutas; in omnibus sacerdotibus, ut plurimum nulla interveniente communione, tum privatim, tum publice celebrant* (4).

(1) Cf. in hunc loc. Bernard. a Piconio, qui eum præclare evoluit.

(2) Ceterum, Renaudotius *Observat.* 11. in *Liturgiæ Ethiopicæ*, annotat, quod cum antiquæ liturgiæ præcipiunt eos exire, qui non communicabant, non respiciant illos, qui ea die non erant communionem percipientes, sed eos, qui ad eam suscipiendam jus habebant, ut audientes, et catechumeni, vel qui illud amiserant, ut poenitentes. Cf. *Liturg. Orient.* tom. 1. p. 535.

(3) Loquens enim de Can. X. inter apostolicos, quo privantur communione fideles, qui ingrediuntur ecclesiam nec sacram eucharistiam percipiunt, prout legebatur in veteri conciliorum editione Petri Grabii, Disp. XXI. Thes. 2. in primis exhibet veram versionem hujus canonis, quæ ita se habet: « Quicumque fideles Ecclesiam ingrediuntur et scripturas audiunt, neque apud preces et sanctam communionem permanent, eos tanquam qui ordinis perturbationem inducant a communione arceri oportet. » Deinde concludit: « Itaque sententia canonis erit, non ut quisque, quoties adest, communicet, sed ne, necdum perfecta communione, discedat. Nempe etiam illi, qui non communicant ipsi, remanere jubentur, usque dum alii non clerici tantum, sed etiam laici perceperint panem sanctum. » Hunc ipsum ostendit esse sensum concilii Antiocheni can. 2. Cotelierius autem observat canonem X. (seu VII. in sua edit.) apostolicum, esse ipsum canonem secundum synodi Antiochenæ, in quem idem errores irreperant, qui reperiuntur in antiqua horum canonum collectione.

(4) Lib. III. De *Eccles. Occid. et Orient. consens.* c. 15. n. 5. Ita Allatius confutat mendaciam Chytræi, quem exseribunt protestantes. Addit tamen ibid. Allatius, consuetudinem vigere in Ecclesiis græcis, ut missa absoluta distribuatur panis, ex quo excisæ sunt particule consecratæ, et vulgo vocatur *επίδηρο*.

PROPOSITIO II.—Neque realis neque spiritualis victimæ participatio ex parte populi pars est sacrificii essentialis; neque ullo sive divino, sive ecclesiastico præcepto tenentur laici ad liturgicam communionem; non sunt proinde ut invalidæ aut illicitæ damnandæ missæ illæ, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet.

Hæc propositio directe impugnat doctrinam synodi Pistoriensis, eorumque, qui non erubuerunt causam victam dare lutheranis, ut patet 1. ex affinitate, quam istorum doctrina habet cum errore a nobis in superiori propositione impugnato; 2. ex argumentorum identitate, quæ ad eam propugnandam adversarii urgent; 3. ex eodem principio, quod assumunt, victimæ scilicet participationem, sive ut loquuntur lutherani, populi communionem esse partem essentialem liturgiæ. Cum vero se catholicos profiteantur illi, quos impugnamus, iis omnibus suppositis, quæ superiori propositione a nobis disputata sunt, sic eos perstringimus.

Victimæ participatio, seu populi communio, non pertinet ad sacrificii essentialiam, si concilium Tridentinum non solum validas, sed etiam licitas missas illas declaravit, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. Jam vero, ut ex concilii verbis constat, non solum validas, sed etiam licitas missas illas concilium declaravit, imo et canone sanxit. Ergo.

Porro, si populi communio illius necessitatis est, quam synodus Pistoriensis cum suis autumat, sacrificia illa, in quibus nemo sit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet, non solum non essent licita, sed nulla prorsus ac irrita forent; cum illud censetur essentialia, sine quo res nec est, nec concipi potest.

Ex quo colligitur 1. contradicere sibi synodum, dum profitetur, se non propterea damnare missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, et eo sibi dolam atque captiosam hanc adjunctionem tendere, ut non videatur a se rejici canon Tridentinus.

Colligitur 2. quod, sive communio fiat in missa, sive extra missam ex præsanctificatis, res non sit dogmatica, sed plane disciplinaria; circa quam potest esse Ecclesia, ex potestate sibi a Christo concessa in administratione sacramentorum, potest id statuere, quod magis opportunum e re esse judicaverit.

Colligitur 3. recte propterea ac sapienter Benedictum XIV. in cit. encyclica: *Certiores effecti*, data an. 1742, ex occasione controversiæ Cremensis laudare quidem tanquam rem exemplo Christi commendatam, et eucharistiæ institutioni atque ecclesiasticæ disciplinæ consentaneam, ut eucharistia administratur adstantibus, qui eam suscipere parati sunt: sed illud etiam monere, nihil nisi bene ac rite ordinatum in Ecclesia esse debere: unde fit, ut si in quibusdam circumstantiis minime expedire arbitrentur episcopi, eucharistiam in missa hoc vel illo altari celebranda ministrari adstantibus, non idcirco ad-

versus episcoporum jussa turbæ sint excitandæ (1).

Colligitur 4. nullum extare præceptum divinum aut ecclesiasticum, quo fideles teneantur communicare in missæ sacrificio. Etenim præter dicta, in Rituali romano præcipitur, ut *Aliquot particule consecratæ eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide* (2). Quod quidem fundatum est in praxi quæ ab immemorabili obtinuit in universa Ecclesia, ut etiam extra missam fideles eucharistico cibo reficerentur, uti constat ex iis, quæ superius scripsimus, tum de communionem domestica, tum de communionem eorum, qui in carceribus detinebantur aut in solitudine degebant, necnon de missis præsanctificatorum diebus aliturgicis. Accedit usus receptus jam a sec. IV in ecclesia hierosolymitana asservandi pariter pro diebus aliturgicis particulas consecratas pro communionem peregrinorum, qui ad eam ex toto terrarum orbe confluebant (3). Jam vero si communio liturgica de præcepto divino esset, satius fuisset communionem extra missam prætermittere, quam præceptum divinum violare. Dicendum præterea esset in adversariorum systemate omnes sacerdotes, omnes episcopos, summosque pontifices, pluribus exitibus culpis fuisse ac esse irretitos, gravissime pariter hactenus laicos peccasse, qui eucharistiam non in ipso sacrificio sumpserunt, nisi forte eos ignorantia invincibilis excusasset; quæ omnia absque summa Ecclesiæ injuria dici non possunt (4).

Quod si communio liturgica ad sacrificii essentialiam non spectat, multo minus ad ejusdem essentialiam spectare potest communio spiritualis nusquam præcepta (5); alioquin semper dubitari posset de valore sacri-

(1) Cum Card. Bellarm. lib. vi. de *Euch.* cap. 10. n. 15. solvens quandam difficultatem adversus missas privatas scribit: « In liturgiis fit mentio distributionis, quia semper fieri potest, ac debet sacramenti distributio in missa eorum sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si sint aliqui parati ad communicandum; » illud debet non stricto sensu accipiendum est, sed ceteris paribus. Nam ex constitutione seu Encyclica Bened. XIV. discimus, etiam pastores animarum satis munere suo fungi, quamvis extra missam eucharistiam dispensent. Non prævidit doctus et pius Cardinalis nonnullos Ecclesiæ perturbatores fore qui abuterentur ejus verbis.

(2) Nannaronius reponit, hæc postrema verba intrusa fuisse: ast hoc desperatorum effugium est; siquidem in eodem Rituali tit. de *ordine ministrandi sacram communionem*, regulæ servandæ proponuntur in administratione eucharistiæ extra missam, inter quæ ea habetur, ut sacerdos indutus sit superpelliceo, et stola coloris officio illius diei convenientis, etc. S. Carolus in conc. II. provinc. p. 1. jubet sacerdotem indui stola alba, stola vero rubra ubi servatur ritus ambrosianus. Verum, cum agatur de facto notorio et publico, inutile est plura ad id ostendendum congerere.

(3) Cf. Mabillon. *De Liturgia Gallicana* lib. 1. cap. 9. n. 26. et in *Comment. ad Ordinem Rom.* n. 9. et Bened. XIV. *De sacrific. mis.* lib. II. cap. 22.

(4) Cf. Joseph Maria Elefante *Dissertatione theologico-critica*, Nap. 1774. Necnon Natal. Alex. *Diss.* XIII. in sec. 15. et 14. Estium in *J. D.* 12. § 18.

(5) Tridentinum affirmat quidem eo etiam nomine missas illas in quibus nemo sit qui communicet, esse communes, quod plures spiritualiter ex adstantibus communicent, ast non eo fine id asserit, quasi insinuare voluerit missas censendas esse illicitas, multo minus invalidas, in quibus nemo sit qui spiritualiter communicet, neque id profert ut conditionem sine qua missæ illæ celebrari non debeant; alio-

cii, cum spiritualis ejusmodi communio interior sit, nec ulla ratione sensibus subjiciatur.

**DIFFICULTATES.** *Obj.* 1. Nullum, inquit, est argumentum depromptum ex invaliditate sacrificii, in quo nemo sit qui communicet, cum communio populi tunc a sacerdote suppleatur. 2. Fideles præterea jus habent ad sacramenta a Christo pro ipsorum salute instituta. 3. Certum est, eum qui in missa communicat, cui interfuit, obtinere effectum orationum quæ a sacerdote pro communicantibus funduntur, ideoque magis proficuum esse communionem in missa, quam extra ipsam. 4. Dominica institutio, liturgiæ, ecclesiæ praxis, veteris ecclesiæ disciplina, collectæ ac preces quæ in missa recitantur, communionem liturgicam suadent. Ergo.

*Resp. Ad 1. Neg.* Etenim si communio populi sive realis, sive spiritualis, ad essentiam sacrificii pertinet, suppleri a sacerdote nequit. In hac præterea adversariorum hypothesi frustra propugnaretur necessitas communionis liturgiæ, dum itaque hæc nobis opponunt, seipsos confodiunt. Dici etiam pariter posset, Christum potuisse supplere communionem apostolorum; ruit proinde, quidquid ipsi ex eucharistiæ institutione proferunt.

*Ad 2. Dist.* Fideles jus habent ad sacramenta percipienda, C. ad modum quo illa percipi debent, N. Præstituerunt enim modum, tempus, locum, ceteraque adjuncta, quæ sacramentorum collationem respiciunt, spectat ad Ecclesiam, cui Christus hanc potestatem contulit. Quodnam igitur jus jactare possunt fideles ad liturgicam communionem?

*Ad 3. Resp. I. Tr.* Certum enim pariter est, sacerdotem consecrationis verba proferentem super hostias in pyxide asservandas, recitare etiam ipsas preces pro fidelibus, qui suo tempore communicabunt: *Ut quotquot ex hac altaris participatione corpus et sanguinem sumpserimus.* Ast, et hoc adversariis dato, communionem liturgicam potiorē esse illa, quæ fit ex præconsecratis, non tamen inde conficitur quod ipsi contendunt. Hinc *Resp. II. N. cons.* cum ex uberiori fructu, qui posset percipi ex liturgica communione, minime sequatur divinum extare præceptum aut ecclesiasticum, quo fideles ad illam semper adstringantur. Sed neque argui Ecclesia potest, si majorem hanc utilitatem rationabili de causa negligat seu calicem efficaciter non curet, etenim, ut superius vidimus, quamvis major gratia proveniret infantibus recens baptizatis ex collatione confirmationis et eucharistiæ, Ecclesia tamen veterem illam disciplinam justis de causis immutavit: id ipsum dicatur de communione sub utraque specie, licet disputent inter se theologi, num ex ea gratiam aliquam accidentalem fideles consequerentur.

*Ad 4. Dist.* Et hæc omnia aliquam congruentiam pro communione liturgica ostendunt, C. ejusdem præceptum, N. Itaque hæc omnia, magno eruditionis ap-

quia innumeris perturbationibus via aperiretur. Loquitur igitur de eo, quod fieri potest et fieri consuevit a piis fidelibus.

paratu congesta, non evineunt, nisi aliquam congruentiam communicandi in missa. Quod si in nonnullis liturgiis verba reperiuntur, quæ id præcipere videntur, plerumque in iis solum sermo est de participatione sacramenti, minime vero de communione in ipso sacrificio. Quo fit, ut adversarii nostri in plerisque suis argumentis a sacrificii ratione ad participationem sacramenti fallaciter transeant. Hæc præterea argumenta disjecimus in refutatione protestantium superiori propositione; unde non est cur diutius in iis immorari debeamus.

#### CAPUT III. DE MATERIA, FORMA ET MINISTRO SACRIFICII EUCHARISTICI.

Cum illud proprium sibi vindicet eucharistia, ut sit sacramentum et sacrificium, eadem proinde est materia et forma tum sacramenti tum sacrificii. Ad formam quod attinet, declinatis questionibus scholasticis: an scilicet Christus sola voluntate, an vero verborum prolatione panem ac vinum commutaverit in corpus et sanguinem suum; item, an verba, quæ in canone præcedunt vel subsequuntur consecrationem, ad ejus essentiam pertineant; his, inquam, declinatis concertationibus, quæ certe non magni videntur momenti; nos cum communi ac certa sententia asserimus, formam essentialē tum sacramenti tum sacrificii consistere in illis verbis: *Hoc est corpus meum, et hic est sanguis meus, seu calix sanguinis mei* (1). In hoc consentiunt patres omnes sive græci sive latini, qui præterea in eo conveniunt, quod Christus in conficienda eucharistia verbis usus sit, quæ in Evangelio referuntur.

Circa materiam omnes tenent eam in solo pane triticeo et vino de vite consistere. Verum quæstio agitatur inter Græcos schismaticos et Latinos, an va-

(1) Nonnulli perperam existimarunt Græcos et Orientales credere, non verbis ipsi Christi Domini, sed precibus quas in missa fundit sacerdos post recitata verba ipsius Christi, ad invocandum Spiritum sanctum, ut illabatur in sacra dona, eaque *commutet, convertat*, etc. acceptam referendam esse ipsam immutationem, qua panis et vinum in Christi corpus et sanguinem convertuntur. Ita inter ceteros Le Brunius et Renaudotius. At certum est Græcos professos fuisse in concilio Florentino sess. ult. eandem esse de efficacia verborum Christi fidem Græcorum et Latinorum; nempe non hominum orationibus, sed Christi verbis sacramentum perfici. Quare card. Bessarion nomine totius Ecclesiæ græcæ contestatus est: « se didicisse a patribus suis, ac s. præcipue Chrysostomo, sola virtute verborum Christi panem in corpus, et vinum in sanguinem mutari, iisque solis admirandam istam mutationem et transubstantiationem adscribendam esse, atque hoc semper credidisse, et in æternum credituros esse. » Hinc Græci restiterunt, ne hæc veritas insereretur in decreto unionis, eo quod in ignominiam Græcorum ejusmodi insertio cessura esset. Armenis tamen instructionem fidei petentibus Eugenius IV. statuit: « Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit. » Id ipsum declaratum est a conc. Tridentino sess. xiii. cap. 5.

Ex his consequitur, non ob aliam causam preces illas, quibus invocatur Spiritus sanctus, apud Orientales recitari, quam ad majorem declarationem illius mutationis, quæ per Christi verba jam effecta fuerat, ut pluribus exemplis ostendi posset. Cf. de hoc argumento prolixam dissertationem Joan. Benedicti S. J. quæ sic inscribitur: *De augustissimo eucharistiæ sacramento antirrheticum adversus R. P. tebrinum et Eusebium Renaudotium*, quæ extat in *Thesouro Theol. Zacchariæ* t. X. p. 525. et seqq. Ea tamen mihi videtur nimis vehemens et acris adversus homines bene adeo de veritate catholica meritis.

lida materia censendus sit panis azymus? Latini fatentur, perinde esse quoad valorem eucharistiam conficere sive in pane azymo, sive in pane fermentato; Græci vero contendunt non valere consecrationem, nisi in solo pane fermentato. Sic etiam, protestantes omnes cum catholicis consentiunt, vinum de vite validam esse materiam eucharistiæ; ast rejiciunt et impugnant praxim Ecclesiæ admiscendi paululum aquæ in calice.

Hæc controversiæ magno olim animorum æstu agitate sunt, ast vix nunc non obsoleverunt; siquidem ad panem quod spectat azymum aut fermentatum, vix qui stupidus non sit ex Græcis adhuc litem movere audeat, quod ex diversitate hæc accidentali valore pendeat sacrificii eucharistici. Protestantes vero circa aquæ immixtionem jam pariter recesserunt a majorum suorum impotenti furore, et ultra jam nobis dant ex Christi exemplo hunc ritum fuisse ab Ecclesia receptum. Ne tamen videamur penitus præmittere hæc argumenta, quæ tantum olim excitaverunt fragorem, paucis complectemur, quæ ad has questionem spectant.

De ministro lis viget inter protestantes et catholicos, eo quod illi contendunt, fideles omnes baptismi vi ministros esse eucharistiæ. Verum de ea controversia agendum nobis crit in Tract. de sacramento Ordinis. Hic potius eos neotericos perstringemus, qui autumant, fideles omnes adstantes sacrificio non secus ac sacerdotes, vere et proprie dictos ac immediatos esse offerentes, immolantes et sacrificatores (1), nec in alio differre laicos in hac actione a sacerdote affirmant, quam in consecrandi potestate, quæ soli competit sacerdoti in quo se a protestantibus secernunt. Synodi demum pistoriensis doctrinam refellemus circa specialem sacrificii applicationem pro singularibus individuis, quam fieri posse tenere synodus inficiatur.

**PROPOSITIO I.** — *Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus est materia valida sacramenti et sacrificii eucharistici.*

De fide est, ut constat ex concilii Florentini decreto, in quo utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis patres: *Definimus item*, inquit, *in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici* (2).

De pane fermentato, uti præmisimus, nemo est qui dubitet; restat igitur, ut ostendamus vere confici eucharistiam etiam in pane azymo. Jam vero id imprimis conficitur exemplo ipsius Christi. Pro certo enim sumimus, Christum postremo anno vitæ suæ pascha judaicam celebrasse, secus ac contra sensum totius antiquitatis, atque Ecclesiæ universæ, imo contra apertam Scripturarum auctoritatem nonnulli arbitrati sunt (3), quorum sententiam merito Benedictus

(1) Ita passim janseniani, quibus, ut videmus, more suo adhæsit synodus pistoriensis; necnon Nannaronius, qui præterea et illud addit, hanc doctrinam ad fidei dogmata spectare.

(2) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. ix. col. 986.

(3) Christum Dominum pascha legale celebrasse jam

XIV. nimis audacem appellat (4). Sane vix jam est, qui eam adstruat inter catholicos. Quo posito, sive dicamus Christum eo anno pascha celebrasse die præcedenti ab eo, quo Judæi celebrarunt, ut præter Paulum Burgensem tenent Jansenius Gandavensis (*Comment in concord. Evangelic. cap. 128*), Maldonatus (*In capite 26, Matth., V, 2*), Petavius (*Lib. XII, de Doctrina temporum, cap. 15 et seqq.*), Natalis Alex (*Diss. XI, in Sec. 11 et 12*) aliique non pauci; sive asseramus, ut plerique volunt, eadem die cum Judæis Christum pascha manducasse, in utraque hypothesi, ipse debuisset juxta legis mosaicæ ordinationem in azymis celebrare, ideoque et in azymis conficere eucharistiam, cum lex aperte dicat: *In die primo non erit fermentum in domibus vestris* (*Exod. XII, 15*). Christum autem hæc die prima azymorum pascha legale celebrasse, tres testantur evangelistæ: *Matth., XXVI, 17. Primo autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis parem tibi comedere pascha.* *Marc. XIV, 12. et primo die azymorum, quando pascha immolabant;* *Luc. XXII, 7. Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi pascha.* Cum ergo prima azymorum die Christus pascha celebraverit et instituerit eucharistiam, nullas remanserat panis fermentatus, in quo potuerit eam conficere, adeoque in pane azymo illam consecravit.

Pro sententia catholica tot insuper habemus testes, quot ex antiquis scripserunt, Christum in azymis celebrasse, qui omnes prorsus sunt Ecclesiæ patres tum græci tum latini, quamvis fortasse sit quedam inter eos discrepantia circa diem (2), ob difficultatem conciliandi s. Joannem cum evangelistis reliquis, de qua postea agemus. Jam vero si patres unanimiter censuerunt Christum instituisse sacramentum et sacrificium eucharisticum in azymis, pro certo profecto tenentur

sec. 2. inficiatus fuerat Marcion quem confutat s. Epiphanius hæres. 42. Marcionem in hac sententia secutus est sec. 6. Joan. Philoponus eutylichiano errore infectus de quo loquitur, ejus tamen nomini parcens, Photius *Lib. i. Cod. 115. et 116.* Cum vero sec. 11 controversia exarsit Græcos inter et Latinos, azymus an fermentatus panis sit, in quo eucharistia confici debet, nonnulli Græci, quos commemorant Theophylactus et Euthymius in s. Joannem, eandem sententiam amplexi sunt, universa Ecclesia græca reclamante. Latini ad hæc usque tempora unanimes fuerunt in sententia affirmativa, donec Nicolaus de Villa Gagnonis eques Hierosolymit. et Hieronymus Vecchietto Florentinus cœperunt paucorum illorum Græcorum sententiam propugnare. Obscura tamen jacuit usque ad Bernardum Lamy oratorianum, qui in op. *Harmonia et concordia quatuor Evangelistarum* an. 1689. multiplici eruditione eandem opinionem adstruere nisus est, ac pluribus iterum confirmavit adversus suos impugnatores in dissertationibus, quas an. 1697. vulgavit sub titulo, *Continuatio tractatus hitherto de veteri Judæorum Paschate.* Huic deinceps adimplutus est opinioni Tournemine in thesibus, quas Lutetia propugnavit; Calnet Dissert. *De Paschate* satis ostendit s. Lamy sententiæ suffragari. Verum reliqui omnes, quotquot hæc studia profitentur, ejusmodi sententiam acerrime impugnaverunt, inter quos eminent Tillemontius not. 26. ad vitam J. C. Honoratus a s. Maria *Observat. super critic.* t. n. lib. iv. Diss. 6. Witsse *De sacran. Eucharist.* sect. 4.

(1) In op. *De festis* lib. 1. cap. 6. n. 7. Suarezius vero eidem hæresis notam inussit in 3. p. s. Th. Q. D. ar. 9. sect. 5. Ast ulterius quam par esset, progressus est, in ejusmodi censura, etenim ut sapienter monet Card. Gotti, priusquam propositioni culpam hæreses notam inuramus, judicium Ecclesiæ expectandum est. Cf. Bened. XIV. l. c.

(2) Cf. apud Bellarm. *De Euchar.* ib. vi. cap. 7. et seqq.